

turbando mentem adfert insaniam sanis, an non licet experiri: num insanientibus & mente captis turbando, mutandoque ideas, & sensorium commune adferret mentem sanam, & convulsis tolleret contrarius motu convulsiones?

Erat hæc idea a longe petita, nec tamen omni felici eventu caruit.

En experimenta!

EXPERIMENTUM I.

Filia, 12. annor., a binis mensibus insaniebat, ad rogata turbate respondit, neque ea verba, quæ protulit, poterat bene exprimere.

Morosa erat, & inobediens, nec bonis verbis, nec severis potuit redigi ad debitum officium.

Tentata remedia nil juvabant. Dabatur igitur huic mane dimidium gra-

num extracti *Stramonii* (Pilulæ forma) & vesperi repetebatur eadem Dosis, superbibendo qualibet vice vasculum jusculi vitulini, vel infusi Théé.

Spatio quatuordecim dierum usu hujus extracti, nil profus mutatum fuit in hac ægra.

Verum tertia septimana cœpit fieri minus morosa, longe aptius ad rogata respondit, & loquebatur satis distincte.

Intra binos menses continuato semper eodem remedio (aucta tamen dosi, etenim secundo mense ter quotidie sumfit pilulam dimidii granii) optime cœpit ratiocinari, & preces suas matutinas ac vespertinas (quod antea non potuit) clara & distincta voce recitavit, bonam habuit memoriam, & mens sensim integre redibat. Ex

Ex his eram convictus : *Stramonii* extractum posse dari tuto, diu, & bono cum effectu.

EXPERIMENTUM II.

FOEmina, 40. aliquot annorum, vertigine jam a binis annis laboravit, nec ulla ope potuit indelevari.

Mens sensim turbata est, & vertigini se junxit dementia.

Ferebatur tunc ad nostrum Nosocomium.

Applicata remedia prorsus nullum levamen adferebant.

Imo cœpit hæc ægra insanire fortiter, furere, & noctu surrexit e lecto, clamando turbavit, terruitque alias ægras, & quasdam voluit vi e lecto emovere.

Hoc